



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 11. In Vestphaliâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

In Insula Rugia ad promontorium *Stubben-Kamer* in sylua *Stubbenitz* lacus profundissimus, qui licet piscibus scateat, numquam tamen aut retia, aut lintres tulisse dicitur. Immo cum superioribus annis in eum piscatores audaciores scaphâ detulissent, postero die in lacu eam non viderunt, sed impositam procerâ fago. Ad quem aspectum cum eorum vnus hæc protulisset, Quis omnium dæmonum lintrem imposuit arbori, audita vox: non id omnes fecere diaboli, sed solus ego cum fratre meo Nicolao. *Philippus Cluuerius lib. 3. Antiq. German.*

§. 10. In Saxonia superiore.

In Hercynia Sylua (nunc Turingica ex parte dicitur) aues videntur, quarum plumæ noctu lucent ignium instar. Gesnerus putat esse Gracculos dictos Bohæmicos. *Plinius lib. 10. cap. 44.*

In eadem Sylua quam vocat congenitam mundo, ait constare attolli colles occurfantium in se radicum repercussu: aut vbi tellus secuta non sit arcus ad ramos vsque, & ipsos inter se rixantes curuari, portarum patentium modo, vt turmas equitum transmittant. *Idem lib. 16. cap. 18.*

Prope Annebergam fodina argenti, tam foetens vt aliquando mephiti duodecim homines exanimârit. *Cassius lib. 2. de Mineralib.*

Allera fluuius Saxoniae nigerrimas aquas emittit. *Idem.*

In Comitatu Mansfeldiæ lacus est amplissimus, ex quo eruuntur lapides, tam bellè efformati, in ranas & pisces, vt à veris nequeant internosci. *Munsterus in suâ Germaniâ.*

In Marchionatu Brandenburgico iuxta Francofurtum ad Oderam, prope Cœnobium Carthusianorum riuulus ex colle vitifero promanat; in eum quidquid cadit in lapidem conuerti comperitum est. *Volfangus Iopstus.*

§. 11. In Vestphalia.

Ad mare Germanicum fons erat aquæ dulcis solus, quâ potâ intra biennium dentes decidebant. Id experti milites Germanici promotis castris trans Rhenum. Reperta huic morbo antidotum herba dicta Britannica. Putant aliqui in præsentia morbum fuisse *le Scorbut.* *Plinius lib. 25. cap. 5.*

In Mari Germanico capitur piscis, adeò pestifer, ut quicumque illum intuitus erit, illico moriatur. Id vulgò Germani credunt, & asserunt. sed hanc opinionem conuellere nititur, qui vidit illum, atque contrectauit *Vlricus Faber*.

In Vestphaliae parte vbi olim Iuhones, contigit aliquando incendium, quod nullâ aquâ restingui potuit, sed tantum saxis, fustibus, & vestibus oppressum est. *Tacitus Annal. lib. 16.*

## LIBER TERTIVS.

### *De Regnis Arctois, seu de Suecia, Dania, & Noruegia.*



IN ditionem Sueci Regis venisse olim totam Scandiam nemo ambigit, qui eius regni historias primis, ut aiunt labris degustarit; siquidem intelliget ex Suecicâ familiâ Reges Daniæ, & Noruegiæ prodiisse. Quis enim ignorat *Dan* primum Danorum Regem filium *Humeli* fuisse qui 16. in ordine collocatur? Quis nescit *Haldanum Huuithen* originem traxisse à 25. Regibus Suecis, ipsūque quod à *Soluone* quodam Noruegiæ Rege maternum genus duceret, eidem in ditionis dominium successisse, & illud ampliassse, ac demum eius trinepotem *Haraldum Hالفagher*, hîc Monarchiam instituisse? Quomodo autem iterum regna hæc coaluerint nobis est incompertum. Hoc vnum fatentur omnes magnum *Erichsonium* (aliàs *Smeck*) exautoratum esse, eique substitutum *Albertum Megapolitanum* eius ex sorore nepotem, & paulò post eidem *Alberto* *Margaretam* Danicam *Aquini* Noruegiæ Regis vxorem suppositam fuisse, quæ trium regnorum Domina fuit. Sed cum Dani Suecos & Noruegos contemnerent, tandem electus est *Carolus Canuti* filius; sed ab eo Noruegos pollicitationibus suis *Christiernus* primus Rex Daniæ seiuinxit, & ita tria Regna duobus principibus cessere; de quibus aliqua enucleatiùs in singulis dicemus.

CAP.